Frid. Zamell

NUPTIÆ

Silvani & Thetidos.

ELBINGÆ

Typis BODENHAUSIANIS

Anno M. DC. XLII.

RVrsus ad æqvoream silvis descendimus undam:
Rursus ab æquoreis in nemora imus aquis.
Silvani magniq; maris tractamus amores.
Arvorumq; Thetis nubit amica deo.
Nos ultra Colchos in Eoas venimus oras:
Et sua nunc totus fœdera mundus habet.

NOBILIBVS, SPECTABILIBVS, AMPLISSIMISQVE VIRIS, DNN. MICHAELI SIFERTO & SIGISMUNDO MEGERISIO, Reip. Elbinganæ Coſs. Collegis, amicisq; optimis S.

IN myrtetis hæreo, viri Nobiles Spectabilesq;, nuperi doloris remedium amplexus locum acerbi funeris. Ecce vix monumento in iis condideram Almeſiæ meæ triſtes reliquias, cùm repentè in ſubjecto colle ingentem Hymenæi celebritatem nemorumq; eòdem coacta marisq; Numina conſpicor. Animum advertite, Collegæ amiciſsimi: res veſtra agitur; meumq; in hac negocium vertitur. Ad Naupegium, quod unà cum aliis in Rep. noſtrâ Nobiliſsimis viris conſtituimus, cujusq; ſtructuris ac fabricis promovendis animo ſumtuq; incumbimus, pronus delabor. In eo varium oculis emetior apparatum, indigeſtam ſtruem; nunc ad aſsamenta hæc ſeſcunciali illa ſexunciali craſsitudine forte ſupra eam infraq;, ut contingit, ſicilico extantia; nunc ad trabes, arborumq; truncas partes converſus. Atq; in his obtueor, in quarum rectitudine Achillis haſtam Peliada, obliquâ aduncitate Iovis armigerum, flexuoſâ varietate Neptuni tridentem aut Heſperidum Draconis volumina; aliis Lunæ Ceiq; illius cervi cornua, aliis hortorum dei pubetenus effigiem exprimentibus,

mentibus, obſervem. Sed Te inprimis, mi Siferte, rem tantam promovente, operarum miniſteria fervent: carinæ, latera, coſtæ, juga, mali, antennæ, acroteria heic exalburnantur, aſciantur, ignium calore fornicantur; alibi aptantur, ſuppinguntur, coagmentantur, dolabrisq; inter ſe complanantur. Tu fabrûm officinas, ſurgentesq; ab ſuis unguiculis non modò gerarias, cyrceros, caudicarias; ſed & oxyas, lembos, oriolasq; utili curioſitate obis. Tu inſtitutum codicem (ne & hac Te laudis Tuæ parte tacendo defraudem) attentis rationum momentis per ſua nomina non minore diligentiâ diſpenſas.

Quas mihi interea partes hactenus deſumſerim, uterq; auſcultate. Ego ſubſidiariâ vice inter vos leviter perfunctus, ac velut in epidromide quâdam â publicis privatisq; curis refectus Silvani Thetidosq; Nuptias gratulanti calamo & voce proſecutus ſum. Idem convenire arbitratus, cùm convenisſent hi, quorum alter robuſtam uberrimamq; materiem ſtruendis, altera amplisſimum ſinum deducendis navibus præbuit. Favete viri: noſtrum eſt, quicquid ab hoc nemoroſorum collium fluctuantisq;, pelagi conjugio erit. Ad tempora Græcis incognita ultra Argonautas ipſumq; Ogygem memoriâ aſcendamus: jam tum Reges erant, quorum potentia his ſtudiis ſubnixa eſt. Id cùm à progenitoribus edocta eſset Carthaginienſium multitudo

tudo etiam in colonias distracta secus mare habitare voluit. A quo ditata nisi ducis vecordiâ inter alieni soli delicias perire incepisset, pro Româ regnaverat. Ridiculo auspicio in Pœnorũ desertis navigiis mari confidere Roma didicit, ingenti paullò post classe victrix eorum, à quibus navigandi non rudimenta hausisse, sed artem in se derivasse videri poterat. Fortunam, quæ nostra est, veneramur: intra eam manendum est. Sed neq; maris commoda portuumq; prætermittenda iis, qui accolunt. Potentissimi Regis nutu, ac Superûm, quis neget? opus aggressi estis. Hoc agite. Quo Numine quibus artibus divulsas inter se Orbis partes tam dextrè quàm industriè maritavit prisca sinceritas, his ipsis multos mortalium non sine rerum emolumento nobis devinciemus. Valete Musarum nominisq; mei par amantissimum. Dab. Eid. Novemb. anno s. n. M. DC. XLII.

Nobiliss. Spectabiltt. V.

Collega observ.

Frid. Zamelius.

RES hominum, tractusque maris, navesque patenti
Errantes pelago Saturnia viderat, inque
Amplexus ruitura viri, cùm dulcis odorem
Ambrosiæ spiraßet; & hæc ego, conscie, dixit.
Votorum thalamique mei differre parabam
Necquicquam Thetidos cum monticolâ Silvano
Conjugia. Vt paßim nemorum robusta propago
Littora complerit, minimâque ex omnibus Argo
Sit minor una tamen; seque ipse sagacior Orbis
His trabibus nescire velit, meus adspice. Primis
Mutor ab arbitriis. Nunc si concordia Ponti
Et nemorum tamta est, seque his post Pelea functum
Induit alma Thetis, sint & commercia lecti.
Sic effata Iovem simul in sua vota trahebat,
Cujus ab assensu tremuerunt ardua mundi.
Vos rura & fontes præstate silentia rebus.
Arcanum reseramus opus. Cùm maxima Iuno
De Ganymedéâ sumsisset pocula dextrâ,
I puer, aligeroque hæc ocyùs, inquit, Amori
Iussa fer à nobis, veloces dirigat arcus
Cum Thetide æquoreâ celerem fixurus eodem
Vulnere Silvanum. Sonuêre Cupidinis arma
Per nemorum pelagique vias, factusque repente
Terrarum paribus votis consensus & alti.
Tum primùm viduo flammam sentire sub antro
Alma Thetis capripesque deus de rupibus altis
Collustrare deam: simul ambitiosa per undas
Filia Chironis Nimfarum asciverat agmen.
Quoque maritales sub colle laceßeret ignes,
Proxima littoribus tamquam spectata videri
Nollet, ut errorem castigatura refugit.
Sic priùs Actæo bona Phyllis ab hospite visa est,

Quàm

Quàm domus interior thalamiq; arcana paterent.
Icarias Ithacus quamprium intrasset in ædes,
Penelopen vidit: sed sic vidisse putandum est.
Iamq; latere negans (utrum observâris in illis)
Dissimulatus amor manifesta incendia traxit:
Nullaq; cùm fuerint olim commercia vocis,
Nutibus & signis cœpêre loquacibus uti.
Profuit ambobus nemus & vicinia ponti,
Tum specus allapsu jam pridem exesa marini
Littoris: ac pactis interfuit ipsa Hymenæis
Idalis. Æneæ non hanc mutaverat error,
Nec Tyriæ casus Iunonem verterat urbis:
Sed positis odiis cœlo dein auspice tædas
Vtraq; firmârunt. Trojæ metuendus Achilles
Excidit: & nostri spreverunt Pergama nautæ
Vlteriùs missi. Totus committitur Orbis
Pace novâ, longumq; patet sulcantibus æquor,
Et priscis ignota Chile: stupuitq; recentis
Naturæ ingenium & vires Tithonia conjux,
Cùm nusquam certo, ut perhibent, deprensa cubili
Noctes atq; dies æquo discrimine terris
Cederet, ac Phœbi transiret lucidus orbis
Infera, mortales alibi sopor altus haberet.
Intererat, quo festa dies ducenda paratu,
Quive dii sacræ cumularent lucis honorem.
Vos quibus astrigeri parent supera ardua cœli,
Vos quibis imperium pelagi, quibus edita subsunt
Rura, quibus silvæ atq; obnoxia lustra ferarum,
Numina venistis thalamis affinia tamtis.
Et donis vestræ polluxit Regia dextræ.
Squamigeri jacuêre greges, mistumq; minori
Grandepecus generi. Nomen fluviatile prædæ

Confusum

Confusum æquoreæ est. Nimfarum ea gloria pandi
Marmoris est: primas Galatéa merebat in illis.
Fœta Pales læto tauros dimiserat arvo
Suffectura dapi Superûm, magnoq; bidentum
Pars actæ numero: læviq; tumore Priapus,
Vt subolem hortorum calathis exemerat, ante
Ora deûm objecit, de quo risére Napææ.
Tum Scythiæ Triviam venisse patentibus agris
Fama prior retulit, cùm famâ accessit & aprum
Intulit à jaculis & multâ cæde rubentem.
Dixerat è turbâ comes una fuisse minorem,
Altera majorem, patriis quem in finibus olim
Straverit Oenides: fusiq; in retia cervi
Inciderant, timidiq; inter venabula damæ.
Ibant succinctæ viridi gestamine Nimfæ,
Coryto ex humeris rejecto arcuq; minaci,
Ducentes prædam longæ spectacula pompæ.
Nec res aucupii deerat: namq; optima Iuno
Præstiterat veniens. Raptâ satus Orithyiâ
Alter opes nemorum gelidæq; coëgerat auræ.
Ille celer pennis primâ constrata pruinâ
Arva pererrârat, fratriq; alterna volenti
Munia detulerat: laqueosq; tetenderat & quo
Deciperentur aves Panum non inscia turba
Sacrorum domini. Descenderat æthere summo
Iupiter, & posito referebat fulmine vultum,
Qualis inest illis, à quorum fronte jubemur
In spes ire ratas: & erat sine nubibus æther
Luce Iovi similis. Consessum est ordine: justâ
Ennosigæus erat, distinctas fœdere terras
Rex obeuntis aquæ. Ditem sua caussa tenebat
Inter Avernales tractantem munia lucos.

Martis

Martis ab imperio pelagi vicina potestas
Et decus est habitum. Gradivo proximus hæsit
Phœbus, & huîc populis Cyllenius utile Numen.
Mulciberis fuerat manifesta injuria, si quis
Alter Atlantiaden prope sessum flecteret artus.
Et parte in dignâ de conditione mariti
Cypris erit: partesq; suas Nysæus habebat
Omnia pollicitus quater ad sua munera versis.
Tunc Ariadnææ spectandus luce coronæ.
Alcide, Tibi raptus Hylas emerserat imis
Fontibus, & teneros in Te repetebat amores,
Cùm velles placidum prælibaturus Iacchum.
Longiùs Hippotaden illo, cui sorte secundâ
Arbitrium maris est, secerni Rexq; satorq;
Iusserat ille deûm non commissurus utrumq;
In vino, quòd jam Bacchus præsentior esset.
Ac sciret veteres durare minacibus iras.
Hinc alii Superûm, & Fauni accessistis agrestes,
Ac Nerei domus omnis. Vbi se prima dearum
Composuit, ventura fuit Tritonia virgo,
Nî Venus ob faciem, non obluctante Minervâ,
Iuncta novercali lateri foret: & vir in illud
Iverit opprobrium: vicit quoq; caussa mariti.
Ejus ab arte venit, qui nautica robora figit,
Clavus, & in dubiis quæ mittitur ancora rebus.
Orta mari Venus est: hos si prætenderet ortus,
Posset in hoc ratio certamine sanguinis esse.
Palladis à telâ sumuntur carbasa. Res est,
Quâ poterat Veneri Pallas contendere. Pulcrum
Credidit in mensâ sub patre modesta videri.
Armigeram Diana deam, Nimfæq; Dianam

 Turba

Turba secuta comes: Nimfis tamen Amphitrite,
Et Tethys prælata fuit, sinuosaq; Doris.
Prælatæ Aonides (namq; hæ genus ab Iove summo)
Et quibus est idem generis Saturnius autor.
Non illæ, quàmvis vivant in collibus, undas
Exosæ: quoniam frundoso tramite gaudent,
Nec Phœbo sine fratre canunt, procera remittunt
Robora naupegis contentæ exilibus umbris.
Patruus est, salso qui circuit arida ponto.
Hæc quoq; fama pios sequitur mansura Poëtas,
Immensum pelagus nullis tranasse carinis.
Pene fuit nulli (licet huc descenderat ultro)
Postponenda Ceres. Cereris se navita donis
Solatur turbante Noto jactatus & undis.
Mater abest divûm Phrygiis notissima sacris.
Illa suos habeat sibi frenatura leones,
Celsaq; turrito volitet per Dindyma cirro:
Nec quàmvis puerum nobis opponeret Atyn,
Ignibus his veniat. Silvis & pinubus altis
Regnat, & ingentes Silvanus concutit ornos.
Semimares venêre hæc in ludibria Galli.
Insanum vulgus Cybeles sunt turba: nec illis
Post ullos liceat divorum accumbere: nec vos
Admissi caussam qui pugnæ quæritis. Ergò
Centauros Lapithasq; genus feralibus armis
Assvetum toto jussêre facessere luco
Cuncta manus Superûm, quiq; hæc loca Panes obibant.
Nimfarum veneranda Themis defugerat agmen
Læsam questa fidem: quid in his desideret ausa
Clarius effari: Phœboque irata locuta est,
Donec rapta sibi Phocæi oracula templi
Possideat, nec se raptoris pace teneri.

Si quid

Si quid sacrilegi turbant in fœnore nautæ,
Caussa data est Themidos tamtis absentia sacris.
Vltima cœlestum vestitu discolor Iris
Quid Iuno instrueret, sumebat ab indice vultu.
Nescit Edusa Tuum majorq́ minorq́ deorum,
Nec rogat auxilium. Sine te gens sana fruuntur
Divinis epulis: sine Te Potina bibuntur
Nectarei latices: & qui ruit ære profundum,
Acriùs in medio stimulatur navita fluctu
Incumbente fame; sitiuntur pocula in undis.
Ibitis ad tenues puerilia Numina cunas.
Iam potior cœli potior gens sederat alti:
Hinc Dryades, streperisq́ chorus confusus ab undis,
Tu quoq́ formosas inter numerata meorum,
Drausias & fotrix & pars jucunda laborum,
Sæpe Tuos fontes & Te veneranda requiro:
Sæpe novas vires argumentumq́ ministras,
Ingenium patrii Tibi devinctura Poëtæ.
Isulis accubitûs post Te sortita secundos
Occupat, & secum meditatur sitne sororem,
In partem decoris secum tractura Nogedin,.
Hæc subit, & decoris meritâ se parte tuetur,
Ac longo comites circumspicit intervallo.
Nec nemorum discretus honor nec caussa profundi;
Verùm ut conditio virtusq́ locusq́ ferebat,
Permista est vitreis silvarum gloria Nimfis.
Solus Hamadryadum cœtus squallore jacebat
Tristis, & eventu rerum sua fata dolebat.
Intromissa dea est dejecto pallida vultu,
Plangenti similis, cœlum tuitura sinistro
Lumine, non oculo pontum visura benigno;
Sed tempestati sed iniquis imputat Euris,

Quas

Quas pelago profudit opes: Iactura bonorum
Credita, tunc vigilans cùm jam discrimen in ipsum
Resque hominesque ruunt, redimitque ejecta vehentes
Sarcina. Sub forium sedit stridentibus antis.
Fortè canis (namque hic fidißimus Ilithyiæ)
Est intrò dominam divûm in conclave secutus.
Iupiter hunc exeße jubet. Mentita Diana est.
Et Pelusiacum veniße ajebat Anubin.
Niliacus jam tutus erat, jam gratior hospes,
Et discurrenti licuit contingere mensas.
Senserat hoc Phœbus (quis Phœbum cuncta videntem
Falleret?) & vidit Dictynnam falsa locutam.
Quippe ubi ad Ægypti radios contorserat urbes,
Delubri medio stratum conspexit Anubin.
Noluit indicio veri gravis eße sorori.
Sed tamen ede soror, Tua cur vestigia malit
Ille sequi, & motu Tibi gestiat advena caudæ.
Sic Phœbus: ficto cui Cynthia reddidit ore:
Venandi studio Pergâque Ephesoque relictâ
Nuper ego in silvis non incomitata vagabar
Ipsa ignara viæ, mecumque ignara locorum
Insidias cervis Nimfarum turba parabat:
Cùm specie hac visus plures agitaße ferarum,
Et straviße canis. Sensit mea Numen adeße
Turba deumque loci. Pariter succedimus ædi,
Quam Pharii posuère viri. Mihi Numen ab arâ,
Dum veneror regemque canum dominumque vocando,
Blanditur, Nilique Erythræque paciscitur oram:
Offert & Libyæ sub eodem fœdere saltus:
Ac si quà indigeam comites promittit opemque.
Hac mihi latrator re conciliatus Anubis.
Dixit: & affirmant Hyale Phialeque ministræ:

Prima Hyale Satyris, Phiale junctissima Faunis.
Illa timet salicum, Daphnes timet altera fatum:
Nec tamen hæc salicem non gustat, & altera laurum,
Indignæ comitum: tamen ignorante Dianâ.
Delius admisit Triviæ miratus in illis
Ingenium, facilesque aures habitura reperta.
Insuper id solum rogat à Latoide, numquid
Felem vidisset jampridem rure Canopi.
Cuî soror: hoc unum est, quod totâ mente recordor,
Si tamen hoc unum est: corvum quoque vidimus, inquit.
At deus, æquoreas cujus sunt regna per undas,
Dissipat & revocat contractæ nubila frontis.
Dumque eadem revocat questus de rege silentum,
Æmulus est, ait, & nostras affectat habenas
Vmbrarum ille potens: & habet sua flumina, Lethen,
Cocytum, & Stygiam sene cum vectore paludem.
Ac si fortè meis turbârunt æquora regnis
Auster & oppositus Boreas, naveisque virosque
Illisére vadis, jactataque corpora tamdem
Inveniunt requiem, cumuloque teguntur arenæ;
Nare jubet manes iterum, vitâque relictâ
Inter aquas obitæ vitare pericula mortis.
Nec mera quàm tulerint ludibria, sedibus antè
Accipit inferni. Commotos Iupiter Austros
Viderat his dictis, monuitque abrumpere vino.
Mars siluit, quàmvis classes sine Marte futuræ
Pondus iners essent: animo taciturnus obibat
Omne genus ratium, & si quod foret utile bello
Seu foret armato replendum milite, secum
Exigit heroas olim ruiturus in iras
Voce tubæ, strictuque oculi fugiente lacessit
Idaliam: quæ Phœbe Tuum laudaverat arcum.

Inge-

Ingenuos à Te semper traxisse Poëtas
Quo caleant, inquit, nec vi majore sagittas
Infigi quas libret Amor, penitusq; putare
Numen idem. Cytheræa procax pro more locuta est,
Cùm vellet, quæcunq; vides, sua regna videri.
Omnis ab arbitrio pendebat functio Bacchi,
Nec Iove regnabat proles Semeleia duro.
Vtq; à Dardanio poscebat vina ministro
Iupiter, in partes Lucina vocâret easdem
Cultam Heben, veriq; dedit præcepta decoris.
Dulce Iovem nectar bis propinasse Minervæ
Bis Phœboq; ferunt, semel hoc coluisse Gradivum,
Illorum duplices quoniam respexerit artes,
Horridus in solis se Mars exerceat armis.
Iamq; ministrando Ganymedes fessus, & illi
Deficiens turbæ; da fundam, sceptriger, inquit,
Cuî solitus patriâ postquam sum raptus ab Idâ:
Distrahor in multos. Pueri miseratio regem
Ætherium subiit: jam tum Silenus ab Arcto
Venerat, & vitem Scythiæ donasse colonis
Iactabat, latèq; decus vulgasse Lyæi.
Muneris in partem Phrygio submisit alumno
Iupiter instructum Geticis miscere tyrannis.
Ille subit: jam vina diis, cùm protenus inter
Vina solo illapsum spumans extendit Iacchus.
Excipit è Faunis qui formosissimus esset:
Idq; datum Sponso tribuenti plurima Faunis.
Silvani tunc summus honor Thetidosq; venustæ,
Cùm dI conjugium.
Majestasq; fuit, placidus cùm Iupiter ingens
Æquor ab aulai spectaret limine celso,
Et de glandifero Nereus sua regna sedili

Quæ-

Quæreret. Æolios sub Baccho fecerat ipsa
Sponsa sedere duces, sic lenitura furorem
Gentis: & apposito requiêrant æquora vino.
Dudum extenta deûm cœnacula flore superbo,
Vepribus amotis, hilarârat amica Cytheris
Cum Paphiis ingressa rosis ac Numine florum:
Et quasi non dubio pendebant serta triumfo.
Sollicitis Diana sedens obtutibus una
Omnem observabat cœtum numerumq́ suarum:
Quas Satyris vult esse procul spurcoq́ Priapo:
Deprensiq́ animum tetigit suspicio ficti.
Tam festum coluisse diem perq́ æquoris undas
Perq́ amnes humileis & stagna minantia ripis
Fluctivagæ dicuntur aves, jam credulus alto
Nec tempestatum metuens cum conjuge Ceyx,
Et fulicæ mergiq́ leves, fulviq́ haliætæ.
Sit qua fuitq́ fides procul hoc cecinisse profundo
Aut carmen longo meditatos gutture cycnos.
Quàmvis in solo casu Phaëthontis amici
DI maris assererent mœstam clanxisse querelam.
Tum Sol irradians oculis monstraverat omnem
Oceanum, & visi tremulo sub gurgite pisces
Maternas errare vias Tritona secuti.
Ille gravem conchâ sonitum dedit arduus alti
Subnixus scopuli radicibus: indeq́ toto
Facta quies pelago.
Interea resonare nemus subjectaq́ circùm
Littora depulsos Superûm virtute Gigantes,
Luctantem impositâ ante alios sub mole Typhoëa,
Et ruptas illo latus obvertente cavernas
Trinacriæ, dubiiq́ trementia claustra Pelori.
Musa Lycaonios cum vindice dixerat astus,

Cùm

Cùm scelus & pœnas Ixionis addit Apollo,
Vltoremq́; timet vacuus conviva Tonantem.
Ardalidum cantu stupuit Pan ipse cicutæ
Inflator numquam mutans Helicone Lycæum.
At divûm genitor fraterni coerula regni
Fœcundumq́; salem, populiq́; negotia nati
Neptuniq; Euriq; minas tolerare sub ipsis
Intuitus manibus propiorq; laboribus alti
Præcepisse deo fertur, qui carminis artem
Tractat, & artifici moderatur pollice nervos,
Æmonii juvenis posthac ut omitteret ausus,
Esse negans tamti superatum Phasidos amnem.
Forsitan Æétæ quoniam meminisset & auri
Quod raptum Argolicus tetigisset Colchida miles,
Et quæ Phasiacas subiisset cura puellas,
Ipse suas narrare facos cùm vellet, ut imber
Aureus in Danäe patrias eluserit artes,
Regia sed conjux lacrimis suffusa coortis
Acciperet, tacuisse ferunt, deq; Hercule quàmvis
Dicturum movisse nihil. Successit in illam
Pactolus scenam. Phrygiiq; insania Regis,
Et mussans de Rege Midâ tonsoris arundo.
Mulciber Ogygio sese indulgente Lyæo
Primus ubi incaluit narrando furta maritæ
Cuî querar, inquit, in his? tetigitq; infamia Martem
Præcipuè, sensitq; notam Cyllenius ales.
At genitor rectorq; deûm compescere verbis
Necquicquam aggressus fabrum secedere jussit.
Non ægre Cytheræa tulit, sed visa tulisse est.
Ille sub Ætnæâ dimissus rupe quievit.
Tum varios Nimfæ casus juvenumq; furores,
Atq; intentatas nullo sibi vindice fraudes.

Seu

Seu miserante deo, quàmvis pereuntibus ipsis
Non minùs, aut fixâ mutantibus arbore vultus
Aut scopulo, alternæ memorare: dolorq; repressus
Non satis est inter lacrimas sive ista volentis
Dicere, & incœptam verbis pertexere telam;
Sive eadem uberiùs dicentis ob ore rogantum.
Sustinuit paucas ingens fiducia, quæ se
Æneæ cretas exustâ classe ferebant.
Iunonem Cytheræa Venus sermone fefellit,
Ne veterum à dictis odiorum caussa subiret.
Illa Iovis memor in curis, quas corde fovebat,
Et jactatorum non auscultârat amorum.
Nemo Tuos ausus Cyparisse referre dolores,
Aut de cæsarie, quam Phœbus amaverat in Te.
Ista novo Sponsi turbârint gaudia luctu:
Hanc si laudâris, movet indignatio calvos.
Vnus erat totâ forsan calvaster in aulâ.
Pronus erat Titan: jam dedignata vocatu
Et festis Superûm Nox tempestiva fugârat
Solis equos, nec jam nemorum viror obvius, inq;
Ponto eadem facies; condunt se vertice Olympi
Cœlicolæ, divosq́ suos maris unda recepit,
Lustra deos nemorum. Spissâ caligine septum,
Quo steterat chorus ille deûm: tenuêre animantum
Torpentes genus omne dii languorq́ quiesq́
Ortus & his somnus. Vicino in littore noctem
Nupta recens sponsusq́ recens egêre sub antro,
Quo Peleus aggressus erat sed dispare voto.
Nunc illi æterno deductas munere naves
Propellunt trepidante salo, curantq; vicissim
Res pelagi. Immensis ea copula nititur ausis.
Crevit ab hac olim, crescetq́ potentia Regum.

Ditis opes Smaragdi, Neptuni dona jugales.
Aucta quibus Thetis est, cùm Peleanacta maritum
Eßet, ab externo venient majoraq; portu.
Ecce diis primùmq; sacrâ Iunone secundis
Vester amor Silvane meis nova præmia seclis
Spondet, & augustum Tiphy concinnat honorem.
Iamq; decus stirpi est, de quo Tua serta petuntur.
Mitte verecundum Nereia diva ruborem
Non homini sed nupta deo, viduiq; cubilis
Frigus iners exosa: Tibi Cythereia myrtos
Conserit, & gravidâ proles Latonia lauru
Implicat humenteis felici rore capillos.
Inter aquas habites; sua dat Tibi munera Liber,
Sive redux Chiis sive ex Amathunte lagenis;
Perq; Tuos frugum thalamos provecta genitrix
Corcyræ scopulos & summa Ceraunia transit.
Tamtus honor thalamis tamta est reverentia vestris,
Vt Tecum amnicolis æquato Numine Thetys
Iura det, & sine Te metuat dare jura deabus;
Deq; choro, qui Te sequitur, Tua major haberi
Poßit, & ut dubites, nequeat minor eße potestas;
Aq; Tuo, quisquis mare navigat, omina vultu
Accipiat, malintq; Tibi mitescere venti.
Ne dea, ne nimiis animum succeßibus effer.
Ante Tuam Fortuna potens famulabitur ædem,
Cinnamaq; & Tmoli spirabit limen odores,
Ac fluxam inficient illapsa opobalsama vestem.
Eridanus Nilusq; fremens & pulcer Hydaspes
Serviet, ac rapidi Ganges non ultimus Indi
Assecla munifico properabit in æquora cursu.
Te sine non ullas condet Saturnia gazas,
Sumtaq; Gradivo deerunt in prælia vires. Quæ

Quæ solas animi Tritonia Pallas apertè
Iactat opes, tacito supplex Tibi facta sacello
Vt vulgo secreta Tuis libabit in aris.
Tu mihi, quò silvis degam securior altis;
Sive sub iliceis Tibi nunc dotalibus umbris,
Seu sub coniferâ properem mea carmina pinu,
Diva dabis: venientq; Tuis sua præmia templis.
Tunc aut dicendo genetrix nosceris Achille
Major, & Hectoreo perculsi funere Troës
Excidii caußas ponent in origine nati:
Aut si plena Tuæ magis urget adorea famæ,
Quæsito gemini sceptro memorabêre regni,
Littoraq; argutæ ferient ac sidera voces.
Hoc fueris Orbi Numen: sed & exige Tecum
Et genus & proavos. Centauri filia nata es:
Nantq; Tui ponto simulacra biformia patris.
Ascitus fuit hic, quem Tu profitêre parentem;
Qui verè Tuus est, nemora & loca celsa colebat.
Nupsisti, genus unde Tuum. Nec deerat ut eßes
Nimfa maris: Philyrâ Tuus Oceanitide natus
Est genitor, qui verus erat. Iuvat hoc quoq; noße
Natales prodeße Tuos, regnumq; mariti.
O modò corruptam vitiis mea secula prolem
Destituant, actæq; bonis par venerit ætas,
Et terras habitet placata Astræa relictas.
Tamdem judicio stetur pastoris ab Idâ,
Hoc ipsum svadente metu caußâq; malorum;
Punctaq; sint eadem Tyriæ cum Pallade divæ.
Sed semel ablatam tulerit Menelaida prædam,
Exemploq; Paris careat funestaq; conjux.
Quod licet, invideat magnis Discordia rebus.
Prorue pinastros, validâq; incide bipenni

Abje-

Abjegnam sobolem, quisquis concredere ventis
Teq; ratemq; paras & aquarum verrere campos.
Excipe veligeris picearum unguenta carinis,
Inq; suos abeat dives resina liquores
Longævis ratibus, seu Te vocat humidus Auster
Aëriam Thulen Scaniæq; suprema petentem,
Seu Libyæ populos & queis Hyperione dextro
Vmbra sinistra cadit trans Calpen ire laboras.
Apta cannabeum ducentia lintea germen,
Et sit materies ab eâdem meße rudentum.
Exigit à caro Thetis hoc Nerina marito,
Nec negat ille suo, quæcumq; exegit, amori.
Fœdera erunt ipsis æquâ cum Doride silvis.
Terra patensq; fretum tacito sua vincula pacto
Sentit, & immensi conspirant omnia mundi.
Consortes habitura Tui fiducia cœpti
Est superos, stabuntq; ratis arbitria punctis.
Quod cœlum Regesq; probant, à mente deorum est.
Nunc & Hamadryades (Fauni modò vera referrent)
Mœstitiæ posuêre modum promißa secutæ,
Si pelago incedant Nimfarum in præmia nati
Ilicei fœtus; terrarumq; extima lustrent;
Venturum, ut magno de se dent nomina ponto.

Ferte palimpsestos, ac vota faventia nautæ
Mansuris ex ore meo seponite chartis.
Vos ego compello vicinâ è rupe marinis
Fluctibus, & vobis rem nostri carminis edo
DIs gratam vectisq; mari. Cùm vela per altum
Flectetis, nemorumq; horum transibitis ocres,
Silvani memorate faces Thetidosq; venustæ:
Dicite de versu summam didicisse ZamelI.

Lector, ubi à mari deorumq; epulis Te recipis, ne præteri has mensas: quæ etsi frugaliores Tibi a viâ reficiendo appositæ sunt.

AD MAGNIF. NOBILISS:q;

Dn. IOHANNEM PRUSSUM

Burggrabium apud Thorunienses Regium, ProCos. Iudiciiq; Terrestris Nob. Palatinatûs Culm. Adsessorem, anno Servat. nostri incohante M DC XLII.

Totidem Calendas Iane *Ianuarias,*
Quot Te hactenus vixisse Clusinus pater
Animiq; corporisq; vidit integrum,
Vt alter idem transigas, & alteras
Tot si apprecer; scio Thoruniæ Tuæ
Me calculo id facturum, & insuper omnium,
Qui Prusſium *accepére nomen auribus.*
Quàm sim invidendus præco, quàm malè præcam
Tot vota populi, si quid inde detraham,
Novi itidem, ô arduum & sacrum Patriæ caput!
Totidem igitur sis sospes ævitatibus,
Et pluribus. Deinde si qvid amplius
Vitæ adstruam & juxtà salutis, nuspiam
Offenderim. Namq; heic Thoruniæ Tuæ
Eadem & bonorum puncta colligo omnium.

Anagramma Eidem repositum.

Ducta manu carâ venit mihi litera Prusſi.
Qvid loquor? has ceras miserat ipsa fides.
Sic animi firmis patuerunt munia signis,
Vt satis ex istis esset apertus amor.

Hic quid in agresti tantum suspexit avenâ,
Vt mecum silvas vellet adire meas?
Ecce graves posuit majestas æmula vultûs,
Et calamos sumsit dextra superba leveis.
Qvi pro Rege sacros per rura Thorunia fasces
Adserit, Aonium carmina tractat opus.
Iam cumulat nostras arcanis sensibus artes,
Ominaq; è versis elicit apta notis.
Et qvid non de me pietas sincera laborat?
Magnum aliqvid titulis fingit inesse meis.
Prusse *decus nostrum, patere ut Te digna reponam:*
Tu nisu (*& qvid non credam ego?*) nos superas.

Rev. Clarissimoq; Dn. M. Balth. Voidio.

SCis Voidi, in nostris qvæ prosit caussa querellis?
Criminis expertes esse parùmq; queri.
Sed tamen hoc ultrà est: Extergere fronte dolorem,
Et nihil aut solo Numine teste queri.
Qvisq; suos gemitûs habet angulus: & quotus horum
Tristia vulgavit non tolerasse bonos?
Vidisti intra Onacram mutos bene currere pisces.
Mi Voidi, tales & mea Drusis habet.

Ad Eumdem

De donatis tribus Elegiarum libris Andreæ Munceri à Vvachsdorf Elbing. propatrui desideratiss.

GRatus erat per Te mihi missus amice libellus;
Gratior ex ipso nomine Vatis erat.
Namq; ego Muncerum non nescio, nescio Vatem,
Et fecit nostri carmina frater avi?
Et fuit iste lepor, qvem Tu quoq; magne Melanchton,
Tu qvoq; post socerum culte Sabine probas?

Miror ab hoc populo tot jam labentibus annis
Hæc mitti ad nostras non potuiße manûs.
Ergone Tu primus tamto me munere mactas?
Tune mihi generis fers monumenta mei?
Veneris Hercinüs peregrinum nomen ab oris:
Crede mihi Voidi, plus mihi Cive meo es.

In Ennonem.

OPpugnat voces acerrimus Enno Pelasgas.
Non mirum est. Opici vult gregis eße caput.

Nola foribus custodiæ caussâ affixa.

CAmpanam foribus nolam suspendit ab altis
Milvius: ingentes excitat illa sonos.
Nec defensa tamen satis est domus ære loquaci,
Ruptaq; nocturnis arca penumq; dolis.
Confeßi fures, etsi quis Milvius eßet
Nescirent, æris se didiciße sono.

Testamentum Cynaræ.

PRole caret Cynaras, & rem legavit amicis.
Ipse suâ scripsit verba suprema manu.
Exilis nimium est truncataq; litera quævis,
Dilutasq; trahit sordida charta notas.
Qvid mihi de tabulis videatur noße laborat.
Hoc video, Cynaram disposuiße nihil.

In nasatum Nob.

TVrpe quidem lectu est, quod habent mea carmina de Te;
Et dici hoc à me Tu licuiße negas.
Turpius est fieri, patrari turpius à Te.
Peccârim: exemplo deteriore noces.
Conveniat nasate: nihil me scribere posthac
Turpe legi, atq; à Te turpe nihil fieri.

In Cosſum.

Dos minor Æmiliæ eſt, aliquantò erat amplior Annæ.
Si ſpectes animum, cultior Æmilia eſt.
Ad dotem verſus, duxit majore puellam
Coßus: & has ſexto menſe profudit opes.
Æmiliæ mores dosq́ illibata ſuperſunt.
Hauſit & hæc Coßus, quæ potuêre dari.

Famulitium inutile.

TRes mihi ſunt famulæ: ſtertit maturior ævi:
Proxima deſponſa eſt, & modò ſerta parat.
Illius exemplo ſibi tertia quærit amantes.
Quod fieri jußi, nulla peregit opus.

Ad Trauſum Amicum.

TRauſe cave Burrhum, lautas qvi venditat artes.
Crede mihi, in fraudes natio tota ſapit.
Si mare ſi ventos ſequeris ductoribus illis;
Fortunam dicent, quæ nocet, eße Tuam.

In Memmiam.

HYdropem metuens ſucco mutante colorem
Caucha domo noſtras Memmia damnat aquas.
Memmia quid dicis? fruimur ſalientibus undis:
Cogitur ad pigros Cauchus abire lacûs.
Nil fontes nocuêre leves nil Druſidos auræ,
Sed nimiùm Elbingæ Cretica pota Tibi.

Ad amicum de Dioxippo ſuo, id eſt, Aquilâ Regum vectore.

TEcta Dioxippi quid præſtent nomina quæris?
Rem mihi ſecuram: nam vehit ille Iovem.

De

De prædiolo.

PRofuit Andino Paſtorum Muſa Poëtæ.
Rura quòd hûic Cæſar redderet, inde fuit.
Tam malè quid cecini, quid me meruiſſe putabo,
Si quem poſſideo poſtulat alter agrum?

Ad Magnif. & Nobiliſs. Dn. Ioannem Pruſſum Burggr. R. &c.

Pauca Tibi queſtus ſuſpiria cœtera preſſi,
O decus Vlmigeri Pruſſe jubarq; soli.
Eſſe meum volui calami moderamen in illis,
Atq; ea poſſe queri molliùs, eſſe meum.
Ingenio dederis, tumidum si mittar in altum,
Et pandam in luctûs carbasa tota meos.
Sæpe dolor nocuit plenis laxatus habenis,
Et potior lacrimis gutta modeſta fuit.
Pectoris in noſtri latebras demiſſus ab iſtis
Exili gemitu plus supereſſe vides.

Amici moleſti.

Viſe puer, crepuêre fores. Here, pultat amicus.
Quæres ex ipſo, num brevis eſſe velit.
Accedunt longisq; terunt ſermonibus horas:
Dumq; nihil proſunt, munia noſtra jacent.

Epitaphium Amphoræ.

Heic jacet exhauſtis nondum omnibus Amphora cupis.
Maluit, ut vidit creſcere vina, mori.

De Paullo Diacono.

Ingenio valuit: qui, cùm non pergere poſſet,
Inter Lombardos Ennius alter erat.

Iuris

Iuris quæstio.

Mœnia si poßint occlusa volucribus alis
Transiri, an liceat? quæstio Iuris erat.
Quid dubites Mævi? generi lex condita nostro est.
Libratæ pennis non prohibentur aves.

De Coco.

Assavit frigenda cocus, quæq; assa volebam
Frixit, & hæc posuit structor & illa mihi.
Pœna coco imposita est: absumeret omnia solus.
Præstitit offensi jussa sequutus heri.
Iam satur instabat, fieri quid deinde juberem.
Apposui calices, & bibit omne merum.

Ad Auroram.

Salve Aurora recens, Thaumantias altera cœli,
Hoc vultu hoc roseo grata colore bonis.
Stet generi pia cura meo, Te noscere divam,
Et Tua rimari dona jubarq; Tuum.
Plurima concepi post Te venientibus horis:
A Te consilii summa modusq; fuit.

De Ventis.

Murmura cur rapidi dant & suspiria venti?
Suspirantum hominum plurima vota gerunt.

Album & Nigrum.

Marchiacæ color est Aulæ celeberrimus: illum
Quolibet in populo docta papyrus alit.
Iuris habent illum Medicæq; volumina turbæ,
Quiq; sacer Codex monstrat ad astra viam,
Vestra ego formosæ percurram regna puellæ:
Cui decor inde fuit, pulcrior illa fuit.

Spectari gaudent hec membra senilia cultu:
Et vetuli pullæ congrua barba togæ est.
Ivit ab humanis commercia tollere rebus,
Tollere qui voluit candida juncta nigris.

Ad Rev. Clariss. q; M. Balth. Voidium.

O Mi Voidi, & mortuum ajunt, atq; ita est?
Stygemq; lintre transiturus scorteo
Beatiorum viset arva manium.
Cleander ille, pars Tui collegii,
Cleander olim noster? atq; idem spei
Fiduciæq; plenus herè probißimo
Arrectus invitabat hospitem sale
Zamelium, ac de Te rogabat plurima.
Et ille nunc oras silentum pervolat?
Quàm nulla præsagitio mortalium est!
Quàm plena res est calamitatum hoc vivere!
Dum credimus cœlestium nos æmulos
Eadem assecutos, morimur hei nimium impares!

Inter exeqvias Nobiliss. Consultiss. q; Dni GregorI HesI J. V. D. ProCos. Mariæburgensis, soceri desideratissimi depproperatum an. salutif. partûs M.DC.XXXIX. IV. Cal. Sextil.

Turpe, quòd insulsos hodie promiscua lixas
Carmina demulcent, fullonumq; atra cupreßus
Egregium nomen trahit in lugubria Vates.
Mercamur lacrimas, matronarumq; loqvaces
Enumerant cippi decora inscribente Poëtâ:
Et jacet à nostris Gracchi Cornelia nugis.

Quot

Quot cumulos laudum vidi post fata secutos
Vel nondum doctas Larium instrumenta puellas,
Imperiumq́; foci! quoties in margine tumbæ
Infesti sedit cantatrix pica Tubulli!
Interea si quis virtute probatur, & omnis
Emeruit Latij vocem, de moribus illis
Et justi metuit præconia poscere Vatis:
Qvòd penitùs suspecta fides, pariterq́; negetur
Omnibus assensus. Quis non, socer optime, dicat
Tecum Sophrosynen, Tecum agmina longa Sophorum
Condi, atq́; Ausonii Cajos oracula juris,
Partem etiam magni Tecum periîsse Maronis?
Hoc satis est, cunctis tractari ea præmia lingvis,
Sint generi quàmvis generoq́; in carmina vires.

De Adamo Volscio pictore sollertiss.

Quales tabellas heic videtis hospites,
Pinxit Moravus Volscius, vir omnium
Quos viderim hac in arte præstantissimus.
His penetral ædium mearum augustius
Esse voluit: & uti erat meorum in optimis,
Meiq́; cultor integerrimus, sui
Extare memoriam proinde jusserat:
Quas contrà ego æstimaverim opibus Attali,
Nedum tabellis, quas Aristides vetus
Pinxisse fertur, præstinaße idem Attalus
Centum talentis invidente Mummio.
Annos habuerint & perierint ultimùm;
Manebit immartale in orâ Drusidos
Nomen Moravi amici Adami Volscii.